

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Promptvarii exequialis pars ...**

Continens centurias II. dispositionum, quibus themata funebria sive  
scripturae dicta varia ...

**Bidembach, Felix**

**Francofurti, 1625**

Thema LX.

[urn:nbn:de:bsz:31-130978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130978)

rea, Iob. 4. v. 19. quid de domiciliis istis perituris sentien-  
dum? Stulti sunt igitur qui non eligunt habitare in domo  
æterna, non manufacta, 2. Cor. 5. v. 1. vbi mansiones cœ-  
lestes, Ioh. 14. v. 2.

Quin potius desideramus immigrare in illam domū,  
vbi non dolor, non gemitus, Apocal. 21. v. 4. sed delecta-  
ctio perpetua, Psalm. 16 in fine. Vbi non emigrandum,  
sed perpetuo manendum, 1. Thess. 4. in fine: vbi non cul-  
tus tantum videntur, sed Deus facie ad faciem, 1. Cor. 13,  
vers. 12.

F I N I S.

## THEMA LX.

Psal 88. v. 10. &amp; 11.

*Facies mea præ aegritudine contabuit. Clamaui ad te  
Domine tota die: expandi manus meas ad te.*

*Numquid inter mortuos facies mirabilia, aut mortui  
surgent & consitebuntur tibi.*

## D I S P O S I T I O.

Miseras & tribulationes Christianis esse cibum quo-  
tidianum, recte dicitur, *Angst und Noth: ist der Christen  
täglich Brot.* Hoc David cum omnibus sanctis expertus  
est: qui lachrymas cibum suum vocat, Psal. 42. v. 4.

Ideoque tot extant Psalmi pleni querelarum, quibus  
miseriam suam effundit coram Deo.

Talis etiam est hic Psalmus numero 88. qui totus qui-  
dem refertus est acerbissimis querelis. Harum etiam par-  
tem aliquam continent versus prælecti: In quibus tria  
præcipue notanda erunt, quæ ad præsens institutum no-  
strum (sumus enim in funeris deductione congregati)  
non male accommodari poterunt: quia tales miseras  
tandem sequitur mors, Syr. 40. quod & funis præsens te-  
statur.

Primum autem querelam istam Psalms considerabim⁹.

N 2 2. Re-

2. Remedium quod in his miseriis David quæsit, (videlicet preces) expendemus.

3. Quodnam argumentum precum fuerit, aut quid in oratione sua petierit, excutiemus.

I. Pars.

Inter cætera David in hoc Psalmo queritur, v. 4. Anima mea tribulatione plena est: & vita mea inferno, hoc est sepulchro proxima est. Ecce 7. In foueam, & in tenebras me deruisti. Angustias & tribulationes intelligit maximas. Hoc autem loco addit: quod illæ tribulationes tantæ sint, quæ etiam vultum ipsius deformauerint: Commendatur alioquin à venustate faciei, 2. Sam. 16. v. 12. At vide quid hic queratur. Præ miseria contabuit facies mea. Et quia supra dixit se in foueam projectum, similis fere est loquutio sicut nos dicimus, (de his quorum vultus concidit & facies marcescit: *Erst er als wann man ihn ne wolt in ein Grab legen.* Hoc est, Mortuo quam viuo similior est ipsius facies. Sic David, se mortuis annuncerandum dixit supra, versu 6.

Loc v. s. l. Tantæ sæpe sunt tribulationes hominum, quæ etiam extrinsecus apparent in facie, & deformant vultum & faciem hominis, omnemque succum & vigorem corporis absumunt. De hoc ipse filius Dei conqueritur, Psal. 22. v. 7. 15. 16. 18. Esa. 53. v. 2. & 3. Et David Psal. 6. v. 8. & 3. v. 10. & 3. v. 11.

Breui enim temporis spatio consumitur hominis vigor, tanquam à tinea Psal. 29. vers. 31. Esa. 38. vers. 21. *Et seipsum michi dicit: aufj. Proverb. 15. vers. 13.* Si cor perturbatum est.

Hæc consideratio multiplicem vsum habere potest.

1. Cum videmus sic afflictos alios, vt facies quoque ipsorum tabescat: non illudamus ipsis, non rideamus eos: sed erigamus & tolemur ipsos, 1. Thef. 5. v. 14. Syr. 7. v. 8. & compatiamur ipsis. Sicut id in genere debemus omnibus. Rom. 12. vers. 15. Estote compatientes, 1. Pet. 3. vers. 8.

2. Alio-

TH  
 1. Alio-  
 rem m  
 ppe sic  
 curat, dice  
 magis vel t  
 tentandus.  
 indignam.  
 terium, qu  
 veritate,  
 2. Mult  
 Sicut hoc  
 sic debetur  
 quid Hio  
 modum fr  
 sturadmo  
 Psal. 102.  
 Qui  
 Arrupte  
 Hags  
 1.  
 coram  
 euid est  
 Molis  
 2. M  
 prmit. A  
 3. Q  
 L. L.  
 suam De  
 num 21  
 Aramici  
 interim est  
 Rumpitur  
 et imagin  
 penetrant  
 15. qu

2. Aliorum facies etiam in grauissimis miseriis nihil tamen minus nitent, & suam venustatem retinent. His pauci (licet sciant ipsos vehementer grauatos) compatiuntur, dicentes, *Man s'het ihme tota Ders'end an. Et mag's wol tragen.* Et putamus interdum, ipsos grauius tentandos. Hoc nimis durum est, & Christiano homine indignum. Cogitemus dolores cordis grauiores esse interdum, quam vt appareant in facie, Ephel. 4. v. 32. *Sitis* *εὐσπλαχνοί.*

3. Multi in venustate faciei gloriantur & superbiunt. Stulte hoc fit. Quia leui momento Deus faciem illorum sic deformare potest, vt vix agnoscantur amplius. Vide quid Hiobi acciderit, Hiob. 2. v. 12. Nemo itaque hoc admodum fragili bono superbiat. Erat etiam Dauid venustus admodum, 1. Samucl. 16. Sed vide quid dicat hic, & Psal. 102. v. 5. 6.

## II. Pars.

Quid facit bonus Dauid sic cōratabescens præ merore? Arripit preces, & suas miseriis in sinum Dei effundit. *Er klagt Gott.*

1. Quotidie clamo. ad te Gemitus & suspiria etiam coram Deo sunt clamor ingens, vt patet ex verbis Dei, quid clamas? Exod. 14. vers. 15. cum non audiretur vox Moisi.

2. Manus expando ad te. Gestus ardentem orantis exprimit. Attollo manus, Psal. 121. v. 1.

3. Quotidie id facio. Indefinenter oro.

L. I. Maximum solatium, quod miseriis nostras in sinum Dei possumus effundere. Qui suas ærumnas in sinum amici deponit, videretur sentire magnum leuamen. At amici interdum simulant tantum, se condolere nobis interim effuse in sinum gaudent. At Deus nō est hypocrita Rumpitur cor illius, Ier. 31. v. 20 Et apparet cor Dei in viua imagine filii, de quo sæpius legitur, quod viscera illius penetrauerint miseriæ *εὐσπλαχνοί* Luc. 7. v. 13 Vide Heb. v. 15. qui potest compati,

II. Vnicum remedium in grauissimis tribulationibus nobis monstrat scriptura: scilicet vt arripiamus preces. 1. Par. 20. v. 12. Nescimus quid faciamus, &c.

1. Orandum omnibus, præsertim *in necessitate*, Psa. 50. v. 10. & 91. v. 15. Esa. 26. v. 16.

2. Et quidem ardentem. Serijs gemitibus & suspirijs, quæ apud Deum sunt clamor, vt supra modo diximus, Esa. 38. v. 14. Hanna, 1. Samuel. 1, vers. 13. *Engstiglich*. Esa. 26.

3. Ac indefinenter, sine intermissione, 1. Theff. 5. v. 17. Quotidie, ait Psaltes, orauit, Luc. 18. v. 1. &c. De his aliquoties in præcedentibus dictum.

### III. Pars.

Quodnam fuerit argumentum, aut quæ summa præcationis Dauidicæ, patet ex versu sequenti vndecimo. Nunquid inter mortuos, &c. Orat ergo, ne morti tradatur ante tempus, & ne tanti sint dolores, vt plane ipsum periant.

Quare autem optet diutius viuere, ex his ipsis verbis patet: vt scilicet possit porro etiam Deum celebrare: Quod mortui non possunt, nisi Deus miraculosè ipsos velit excitare Ideoq; mortui dicuntur esse *in silencio*, Psalm. 115. v. 17. & 94. v. 17.

L. Licet nobis vitæ prorogationem & diuturnitatem (præsertim in morbis & periculis) perere: At non ob hunc finem, vt porro genio indulgere, & nummos corrudere possimus, sed vt Deum in his terris diu possimus glorificare, quod ante mortem fieri necesse est. Tum enim non amplius *hoc modo* Deum laudare possimus, quo possunt & debent ipsum laudare, qui viuunt. Viuunt quidem & mortui Deo, & laudabunt ipsum resurgentes. At alia est ratio istius seculi. Ergo dum hic sumus, laudemus Dominum, Psalm. 146. v. 2. *dum hic fuero*. Similes autem præcationes huic loco Dauidis, vide passim Psalm. 6. v. 6. & 30. v. 10. & 115. v. 17. Esa. 38. v. 19.

Ergo

Ergo tantum hanc ob causam cupiamus viuere, vt Deo seruire diutius possimus, vt Paulus Philipp. 1. v. 24. & ipsum & laudare, vt David, Psal. 118. v. 17.

F I N I S.

## THEMA LXI.

Psal. 89. v. 48. ad 50.

*Memento quam brevis sit vita mea. Nunquid frustra omnes homines condidisti? Quis est qui uiuit & non videat mortem? qui subducat animam suam de manu inferi?*

## D I S P O S I T I O

Tres sunt insigniores sententiæ in his verbis prælectis, 1. quæ de vita hominum omnium: & 2. de studio hominum in vita: 3. & quæ tandem etiam de morte nos erudiunt. Vitam enim nostram breuissimam esse Psaltes asserit. Licet autem brevis sit vita, tamen non nihil agendum, sed sic viuendum, vt non videamur frustra esse à Deo creati. Interim de morte semper cogitandum: cum nemo sit qui illam possit effugere.

Hæc omnia licet sciamus, & præsentibus intueamur oculis, tamen interdum negliguntur: dum alii longam sibi pollicentur vitam: alii tibi tantum, adeoq; frustra nati sunt, alii mortis plane immemores sunt. Ideoque Spiritus sanctus nunquam cessat de his nos erudire, vt ambulemus corde sapienti, Psal. 90. v. 12. De tribus itaque huius Psalmi sententiis iam ordine dicemus.

## I. Pars.

*Memento quam brevis sit vita mea.* Hoc argumento David conatur Dominum exorare, vt parcat ipsi, & grauioribus calamitatibus non exerceat, sed permittat ipsum hoc breue vitæ spacium transigere, in pace & tranquillitate.

N 4

Locvs